

verò loquitur, contingenter loqui dicitur. Dividitur hoc con-
tingens, in id, quod vel equaliter se habet, ad hunc vel illum effectum
producendum, & utrumque ex æquo respicit; ut est, in homine libe-
rum arbitrium, In Aegeliis & Deo libertas. Vocaturque hæc contingen-
tia nonnullis intrinseca. Vel in id, quod inæqualiter se habet ad ef-
fectum, nempe per quam res alterutro modo fieri magis vel minus sunt apta.
Dicitur hæc contingencia aliàs extrinseca.

XIV. Porro triplex secundum scholasticos constituitur contin-
gens. 1. Natum 2. Rarum. 3. Infinitum, De quibus vide Alsted. in Metaph.
l. 1. c. 28. p. 228. Colleg. Nov. Disp. Metaph. J. Mart. disp. 8. th. 64. seqq.
Ad contingens Rarum Fortuna & Casus referuntur, de quibus vide
excell. Dn. Præcept. nostri Disp. Met. 10. th. 49, seqq. & ib. quæst. 13.
Item, quæstionem nostram 10. quæ de his quid judicandum sit,
paucis expeditum dabit.

XV. Denique contingencia vel sunt presentia vel præterita, vel futu-
ra. Per Dichotomiam ex Scalig. vel sunt præterita vel absentia;
Absentia sunt præterita vel futura. Jac. Mart. Disp. Met. 10. th. 60.
Goclen. in Metaph. Timpl. l. 1. c. 6.

Contingentia presentia, Necessariorum (hypotheticorum puta)
assumunt ingenium. Futura contingencia dicuntur μέλλοντα, sunt in-
definitè futura: Ut cras disputabitur. Futura necessaria rectè dicun-
tur ἐσόμενα, ut fiet Iudicium extremum.

Ultimò, contingens dividitur in complexum quod est enuncia-
tio de re contingente, ut homo ambulat; Et in Incomplexum quod
est terminus simplex, ut bibere, currere, saltare &c. Clariss. Dn. J.
Mart. disp. Met. 10. th. 64. seqq. Alsted. l. 1. Met. c. 28.

Hinc deduci possunt axiomata.

- I. Necessarium ad perfectionem: Contingens ad imperfe-
ctionem pertinet. Nam
1. Necessarium est, quod non potest non esse, Contingens est, quod
potest non esse.
2. Quia quo quid magis necessarium est, eò etiam ad Entis digni-
tatem & sublimitatem magis accedit.
- II. Quod fit naturæ ordine, necessario fit.
Intelligatur 1. Nisi prohibeatur 2. De Necessitate immutabilita-
tis, non coactionis.
- III. Omne contingens est sua natura corruptibile.

IV. Con.